Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1495
Quelle:
Copyright:

et a nobis *Cod.* CCCCXXI. et deinceps pluries relatus, hoc initio: *Noto, quod christum sanguinem, qui de corpore suo effluxit* &c.

IX. *fol.* 159. absque Inscriptione Ejusdem Tractatus *de Corpore Christi*, qui incipit: *Impugnantibus verba ewangelij et ignorantibus* &c. et in edit. *cit.* p. 202. sequitur, a nobis *Cod.* DCLXII. indicatus.

X. *fol.* 166. p. 2. absque Inscriptione Expositio 4. notorum Sensuum S. Scripturae additis exemplis, et modo, quo iis Praedicator uti debeat. Initium est: *Historicus est sensus primo indicans historiam rei geste* &c. Sub finem Vocabula *Historicus*, *Allegoricus*, *Tropologicus* et *Anagogicus* eleganter bohemice redduntur, et additur: *Si quis nescit ex abrupto sic vulgariter predicando exprimere, exprimat latine propter literatos, si in sermone fuerint, et vulgo dicatur circumlocutione, prout poterit plenius explicare.* In praevio Indiculo haec *Joh. Husso* tribuuntur. Credo, cum et praecedentia et subsequa illius sint. Adhaerent hic Canones quidam et Textus PP. contra Simoniam.

XI. *fol.* 171. ut e calce: *Anno domini M°. CCCC°. VII°. sermo Synodalis reuerendi magistri Johannis de Hussynecz dicti Hus.* In illud: *State succincti lumbos vestros* &c. *Ephes.* 6. Ita recte; non autem *ad Rom.* XIII. et *Ephes.* 4. ut habet editio *supra cit.* T. II. p. 47. Initium: *Cum triplex turba christiani exercitus sequendo ducem suum* &c. Vide et *Indicem.*

XII. *fol.* 183. absque Titulo de publica Cleri Correctione. Initium: *Circa preparacionem ewangelij de qua dictum est* &c. Extat edit. *cit.* T. I. p. 185. Vide et *Indicem.*

XIII. *fol.* 192. Epistola *Luciferi* jam pluries relata, quae incipit: *Lucifer princeps tenebrarum dictus dux berebi* &c.

XIV. *fol.* 193. Breviuscula quaedam *de Religione Christi et Religione priuata*, item *de Regula Humilitatis*, quae e Scriptis *Wiclefi* depromta videntur.

XV. *fol.* 195. Opusculum Physiologicum absque titulo, quod incipit: *Interrogasti me, honoret te deus, de differentia spiritus et anime, ut scribam tibi, que dixerunt antiqui in ea. Ecce scribo tibi quedam collectiua, que exscripsi a libro platonis qui dicitur chadon* (Phaedon) *et eius libro qui vocatur thimeus, et ex libris Aristotelis philosophi et cleofrasti* (Theophrasti) *de anima, ex libro eciam galieni quem fecit de concordia quarundam sententiarum ypocratis gloriosissimique platonis et ex libro eiusdem galieni quem fecit in opere cyrurgie* &c. Ad regium quendam Ministrum directum videtur; vocat enim eum *in operibus regis valde solicitum.* Expositis mox Spiritus vitalis primum, dein Animae natura et functionibus prima inter utrumque differentia statuitur: *quod spiritus est corpus, anima uero in-*

corporea